

dum dispositionem altissimi creatoris omnium. Hec enim zona, que dicitur perhusta, ratione globositatis est altior terra, quam sit ex aliqua parte presentis orbis, qui dicitur mundus, et ideo est vicinior celo omni alia parte sui. Unde tanta est eius altitudo respectu ceterarum partium, quod aque diluvii non ascenderunt illuc, quamquam 15 cubitis^t ascenderint super omnes altitudines montium et collium zone temperate, quam colimus habitatione, velut^u est mons Olympus, Caucasus^v, Tabor etc. Continet^w quidem^w zona perhusta undique sui paradisum deliciarum, in quo sunt omnia bona ligna et omnes bone herbe etc. sicut lignum scientie boni et mali^x, de cuius fructu Adam comedit^y, licet fuerit sibi vetitum a Deo, et lignum vite, de cuius fructu Adam non comedit, qui, si de ipso comedisset prius, ut fecit de reliquo, in uno statu sanitatis perpetuo remansisset nec unquam mortuus esset nec etiam aliquis de sua prole moriretur nec penam corporalem aliquis pateretur. In eadem etiam zona, ubi est paradisus deliciarum, oritur quidam fons vivus incessabiliter, qui in quatuor flumina dividitur valde nobilia in pulcritudine et virtute, et expanduntur^z valde procul per multas regiones utriusque zone temperate una et eadem mensura, quorum nomina sunt hec: Gyon^a, Physon^b, Tigris et Eufrates. Ista enim flumina sunt mire^c virtutis et portant lapides pretiosos et aurum optimum, vitrum etc. Sciendo, quod de ipsis dicemus plene in capitulo de fundamento terre, quod est in secundo libro⁶. Et sicut in oriente est locus placidus, plenus et amenus totius consolationis, delectationis et nullius adversitatis, sic in parte meridiei et occidentis idem est omne, quod beate vite. Et hec terra dicitur terra promissionis, que^d nunc potest dici terra predicta. Etiam dicitur terra promissionis India, ubi est corpus sancti Thome etc. Sciendo, quod habet confinium cum illa parte zone torride^e et in illis insulis reperitur fuisse sanctus Brandanus^f abbas cum quibusdam fratribus sui cenobii, sanctus Patricius abbas⁷ etc.

t) cubiti E. u) velud M. v) Caucason M. w-w) continetque E. x) folgt et M. y) folgt qui si de ipso comedisset ac E. z) extenduntur E. a') Gion E. b') Fison E. c') mirre (das erste r expungiert) M. d'-d') in E. e') toride M. f') Bernardus E.

6) Liber particularis, De fundamento terre et de mirabilibus: De orto deliciarum.

7) Möglicherweise eine Anspielung auf das Purgatorium Sancti Patricii mit seinen Verbindungen zum Irdischen Paradies, die der Ritter Owein begangen haben soll (The Espurgatoire Saint Patriz of Marie de France, with a Text of the Latin Original, ed. by T. T. Atkinson JENKINS [1903] S. 89).